In nomine Dei eterni. Anni a nativitate Domini nostri Iesu Christi Mill. Cent. sexagesimo sexto. Secundo die intrante mense Octubris. Indictione quarta decima. Dominus Giselbertus prepositus canonice Sancti Georgii de Braida ex voluntate suorum fratrum ut ipse protulit. Nomine comutationis ad proprium investivit Pelegrinum de Gairardo. Nominative de pecia una de terra aratorea iuris suprascripte canonice que esse videtur in Auesa ubi dicitur Biumda. Habet per longum ex ambobus lateribus equaliter pertice legiptime sex pedes decem ut dixit. Ex ambobus capitibus pertice sex. Coherent ex uno latere et ambobus capitibus iura iamdicti Pelegrini. De alio latere ingressus comunis. Ad invicem recepit iamdictus dominus Giselbertus ab suprascripto Pelegrino similiter in comutationis nomine duas pecias de terris aratoreis ad proprietatem eidem canonice. Quas habere visus erat in Valdesala in Moticlo ubi dicitur Creda. Prima pecia habet per longum ex uno latere pertice viginti et septem pedes quinque. De alio latere totidem. De uno capite pertice sex pedes sex. De alio capite pertice septem. Coherent ex uno latere predicta canonica. De alio latere via. De ambobus capitibus Riprandus filius Iohannis Moticli. Secunda pecia habet per longum ex uno latere pertice viginti et sex. De alio latere pertice triginta et quattuor pedes sex. Quas autem suprascriptas terras comutatas una cum accessionibus et ingressibus earum seu cum superioribus et inferioribus suis qualiter supra legitur in integrum ab illo die in antea predicti comutatores inter se vicissim tradiderunt faciendum exinde unusquisque de eo quod receperit in comutationis nomine tam ipsi quam successores et heredes eorum iure proprietario nomine quicquid voluerint sine omni unius alterius contradictione. Et insuper predicti comutatores per se et suos successores et suos heredes vicissim unus alteri promiserunt cum stipulatione ea que supra inter se in comutationis nomine tradiderunt ab omni homine contradicente cum ratione defendere. Pena dupli. Qualiter tunc fuerit in consimilibus locis. Unde due cartule in uno tenore scripte sunt.

Factum est hoc sub porticu ospitalis predicte canonice.

ARCHIVUM SECRETUM APOSTOL. VATICANUM

Testes Gilbertus de Girardo. Marchesius. Redaldinus de Pecoraria. Iohannes cognatus Baldinti. Gabaldiani.

Ego Riprandus notarius domini Federici imperatoris rogatus predictis interfui et scripsi....